

39. *Secus, ubi agitur de beneficio ecclesiastico quoad titulum.* — Secus est dicendum, quando agitur super beneficio ecclesiastico, quoad titulum, seu ut quis recipiatur ad beneficium, vel praelaturam aliquam: nam tunc transactio privata auctoritate (nisi videlicet accedat superioris auctoritas, juxta dicenda n. 42) intervenire non potest etiam dando, vel remittendo aliud spirituale. Ratio est, quia titulus beneficii non potest acquiri per transactionem, sed solum auctoritate superioris, ac per canonicam institutionem; ut c. *Ex frequentibus*. 3. de *Institut.* et cap. 1. de *Reg. jur.* in 6. ibi: «Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri,» cum concordantiis. Et ob hanc etiam causam illicita est permutatio beneficiorum, seu prebendarum, si fiat auctoritate privata; de quo plura superius, tit. 9. de *Renuntiatione*, § 4. n. 82. et seqq.

40. *Amicabilis compositio, quomodo possit fieri super beneficio ecclesiastico.* — Queritur II. Quomodo super beneficio ecclesiastico possit fieri amicabilis compositio, juxta cit. c. *Super eo*, h. t. quod expresse loquitur «de beneficio ecclesiastico in litigium deducto,» prout patet ex ejus initio? Ratio dubitandi desumitur ex proxime dictis, quia beneficium ecclesiasticum licite non obtinetur, sine institutione canonica; ergo neque per amicabilem compositionem.

41. *An et quando in ea debeat intervenire auctoritas superioris?* — Resp. cum Abbate in c. t. c. *Super eo*, n. 2. b. t. et aliis, id imprimis fieri posse, si partes convenient, ut aliqui periti videant jura partium, quorum consilio premittant acquiescere; vel, si unus ad preces alterius vult discedere a lite, tanquam jus non habens. Et quidem in hujusmodi compositione amicabiliter et gratis facienda super beneficio, non requiritur auctoritas superioris, nisi forsitan alter per talem compositionem dimittat beneficium a se possessum, in quo casu vel de necessitate, vel saltem pro majori securitate, adhibendam esse auctoritatem, jam supra, tit. 9. de *Renuntiatione*, § 4. n. 18 et 19, dictum fuit.

42. *An et quando in ea debeat intervenire auctoritas superioris?* — Deinde his beneficiaria per amicabilem compositionem ita sopiri potest, ut ex una parte retento beneficio, alteri parti detur aliud beneficium, dummodo superioris auctoritas accedat; non obstante, quod conventio a partibus initium ceperit. Ratio est: quia unum spirituale pro alio spirituali

commutare, suapte natura simoniaceum non est; quamvis talis pactio circa beneficia, et pensiones ecclesiasticas, si privata auctoritate fiat, tanquam illicita, et habens speciem simoniæ, jure ecclesiastico merito prohibeatur, c. *Questiunc. de Rerum permutat.* cum similibus; estque uberius dictum superius cit. tit. 9. de *Renuntiatione*, § 4 ferme per totum.

43. *Transactio super spirituali subjectione, an valeat?* — Queritur III. Utrum valeat transactio super spirituali subjectione? Resp. I. Transactio super spirituali subjectione, si fiat dato vel remisso aliquo temporali, irrita est atque simoniaca. Ita communis; et patet ex c. *Præterea quarto*. 40. h. t. ubi transactio illa, per quam capella pro exemptione a subjectione matricis Ecclesiæ tenebatur solvere quemdam annuum censum, judicatur iniquitatem simoniacam continere, ac proinde non valere. Revera enim talis subjectio est quid spirituale, atque ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinens; sicque causa litis sopiendæ nequit remitti sub pacto recipiendi annui census, qui est quid temporale. Secus foret, si transactio super subjectione spirituali fieret dato, remisso, aut retento aliquo spirituali. Abbas in cit. c. *Præterea quarto*, num. 2, et patet ex dictis supra, n. 37 et 38.

44. *Quid, si superior gratis eximat Ecclesiam reservata in signum subjectionis annua pensione?* — Deinde, quando superior simpliciter et gratis vult Ecclesiam sibi subjectam eximere potest non quidem prætextu alienius transactionis, sed in signum subjectionis retinere pensionem Ecclesiæ majori annuatim solvendam, absolvendo eam ab alia subjectione; ut c. *Constitutus*. 6. de *Religios. domib.* ac notat Glossa in d. c. *Præterea quarto*, §. *Censum* et Vivianus, ibid. h. t.

45. *Transactio super annexis spirituali, v. g. super jure patronatus, non valet si fiat interveniente temporali.* — Resp. II. Insuper super rebus spirituali annexis, v. g. super jure patronatus, non valet transactio, si fiat interveniente aliquo temporali. Ita Joan. Andreas et Abbas in c. *Præterea quando*. 9. h. t. Barbosa, ibid. in *Collectam*, n. 1; Vivianus, de *Jure patronat.* part. II, lib. IX, cap. III; Clarinus, *Controv. forens.* cap. CVII et alii. Idque desumitur imprimis ex textu cit. c. *Præterea quando*, h. t. ubi Papa consultus respondet, quod transactio facta ad sopiendam litem, ortam super jure patronatus, non valeat, vi cujus laicus obtineat jus præsentandi, et cle-

rici novam vel majorem portionem, sive censum in Ecclesia percipiant. Accedit ratio; quia etiam talis transactio videtur simoniaca; simonia enim committitur non solum in spiritualibus, sed etiam in iis, quæ sunt annexa spiritualibus; ut ean. *Si quis objecerit*. 1. q. 3, cum similibus: nam de connexis idem est judicium, arg. c. *Translatio*, de *Constitut.* et amplius declarat Glossa magna ibidem. Sic autem jus patronatus v. g. est quidem spirituali annexum: unde nec potest per se vendi, c. *de Jure*, 16, de *Jure patronat.*

§ IV.

DE EFFECTIBUS TRANSACTIONIS, EJUSQUE OBLIGATIONE, SI FIAT PER PRÆLATUM DE REBUS ECCLÉSIALIBUS.

46. *Effectus specialis, et primarius transactionis est imponere finem litibus.* — Queritur I. Qui sint effectus transactionis? Resp. I. Præter obligationem naturalem, quæ est communis omnibus pactis legitime celebratis juxta dicta tit. præced. § 1, numer. 27 et seqq. effectus specialis, ac primarius transactionis est imponere finem litibus motis, vel movendis. Ita communis; ac desumitur tum ex cap. 1, h. t. tum ex l. *Fratris tui*, C. h. t. ibi: «Nullus etenim erit litium finis, si a transactionibus bona fide interpositis ceperit facile discedi,» cum similibus.

47. *Per eam tolluntur omnes actiones, obligationes, probationes, instrumenta, et jura in contrarium militantia.* — Inferitur proinde quod omnes actiones et obligationes in judicio deductæ, ac probationes earum, omniaque instrumenta, et alia partium in oppositum militantia, per contrariam transactionem legitime interpositam tollantur, cassentur, et viribus vacentur, juxta jura proxime allegata. Adeo, ut transactio semel bona fide, ac legitime celebrata, invita altera transigentium parte amplius revocari, aut rescindi non possit, l. *Cum te*, C. de *Transactione*.

48. *Nequit invita altera parte revocari ob rescriptum principis, vel ex prætextu instrumentorum de novo repertorum.* — Ampliatur hoc, ut transactio ejusmodi ne quidem interveniente rescripto principis revocari valeat, l. *Causas*, C. eod. ubi dicitur: «Causas, vel lites transactionibus legitimis finitas, imperiali rescripto resuscitari non oportet.» Quinimo nec etiam prætextu instrumentorum de novo repertorum rescindi potest transactio;

prout habetur decisum in l. *Sub prætextu instrumenti*. 19, C. de *Transactione*, et favet textus in cap. 1, h. t. Quod tamen intelligendum est sub limitatione num. 55, afferenda.

49. *Transactio extenditur ad connexa et accessoria, imo et ad ignota, et quando?* — His adde, quod transactio extendatur etiam ad connexa et accessoria, licet non fuerint in judicio deducta, l. 2. § 1, ff. *Si quis cautionibus* et l. ult. ff. *De eo, quod certo loco*, etc. Bartolus in l. *Aurelio*, § *Cajus*, ff. de *Liberatione legat.* Parisius, consil. 50, numer. 9, lib. IV. Hinc, qui de re principali transegit, de omnibus appendicibus transegit intelligitur. Mantica de *Tacitis conventionibus*, tom. II, lib. XXVI, tit. VI, num. 19, citans alios. Ubi simul n. 17, notat, quod transactio generalis porrigatur etiam ad ea, quæ quis ignorabat sibi competere, dummodo de his generaliter fuerit cogitatum: secus dicendum de iis, de quibus verisimiliter transigentes non cogitarunt; quod ex natura actionis institutæ, simulque ex verbis ipsius transactionis colligi debet.

50. *Alter transactionis effectus est parere exceptionem litis finitæ.* — Resp. II. Alter transactionis effectus est, quod pariat exceptionem litis finitæ. Ita rursus communis, et patet ex cap. 1, de *Litis contestat.* in 6 et ex l. *Cum proponas*, C. de *Transact.* cum concordantiis. Nam transactio dicitur *decisio causæ* seu *controversiæ*; ut habetur cap. 1, h. t. atque æquiparatur rei judicatæ, juxta Abbatem ibid. n. 3. Unde non habet minorem auctoritatem ad litem dirimendam finiendamque, quam sententia, l. *Non minorem*, 20, C. h. t. ibi: «Non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse, recta ratione placuit: siquidem nihil ita fieri fidei congruit humanæ, quam ea quæ placuerant custodiri.»

51. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod ex solo transactionis pacto (id est, si nudo pacto fuerit celebrata absque stipulatione, scriptura, vel rei traditione) de jure civili non detur actio, l. *Sive apud*. 28, C. eod. Resp. enim, aliud esse actionem, aliud vero exceptionem: hæc enim, etiam de rigore juris civilis, datur ex pacto nudo, licet non illa, l. *Juris gentium*, § *Sed cum nulla*, ff. de *Pactis*. Unde nihil impedit, quominus transactio pariat exceptionem litis finitæ: qualis exceptio est peremptoria, et potest opponi sive ante, sive post litem contestationem, prout liquet ex cap. 1 et II, de *Litis contestat.* in 6. Quinime

quod secundum canones ex pacto etiam nudo ac proin ex transactione datur actio, patet ex dictis supra tit. præced. § 1. n. 31 et seqq.

52. *Transactio an possit rescindi ob læsionem ultra dimidium?*— Quæritur II. Utrum transactio ita imponat finem litibus, ut non possit rescindi ob læsionem ultra dimidium? Celebris est hæc quæstio inter doctores, et graves in utramque partem militant rationes; uti videre est apud Jasonem L. *Si quis cum aliter*. n. 13, et seqq. ff. *de Verb. obligat.*; Andr. Fachineum. lib. II, *Controversarium juris*. cap. xxvi, et alios. Verum ut certa ab incertis separentur,

53. *Ecclesia, vel minorennis potest petere beneficium restitutionis in integrum, si in transactione graviter lædatur.*— Resp. I. Si Ecclesia, vel minorennis, graviter lædatur in transactione, certum est, quod possit implorare iudicis officium, petendo beneficium restitutionis in integrum, et hac ratione rescindi transactio ob læsionem ultra dimidium. Ita Glossa fin. in c. *Cum causæ, de Emption. et vendit.* cum communi. Idque patet ex L. 1. *Si adversus transactionem*, etc. ubi dicitur: « In integrum restituta pupilla rescindi transactionem, vel divisionem placuit. » Idemque procedere minoribus propter ætatis auxilium atque in Ecclesiis, et aliis beneficio restitutionis gaudentibus, patet tum ex rubrica, tum ex L. 2. C. eod. ubi fit mentio de minoribus.

54. *Graviter lædens alterum in transactione, tenetur in foro conscientie ad restitutionem; et in foro externo datur actio de dolo, ac rescinditur transactio, quando dolus ex proposito intervenisse probatur.*— Resp. II. Insuper graviter lædens alterum in transactione, non solum tenetur pro foro conscientie ad restitutionem rei injuste acceptæ, ut est certum; sed insuper contra eum in foro externo datur actio de dolo, ac rescinditur transactio quando dolus ex proposito intervenisse probatur. Patet hoc, tum ex l. 2. et seqq. C. *de Dolo malo*, ubi generaliter de dolo conceditur actio, tum etiam ex l. *Qui cum tutoribus*, § *Qui per fallaciam*, ff. *de Transact.* ubi pro ratione hujus affertur, quia dolo circumventus « non tam paciscitur, quam decipitur. »

55. *Graviter lædens alterum in transactione, tenetur in foro conscientie ad restitutionem; et in foro externo datur actio de dolo, ac rescinditur transactio, quando dolus ex proposito intervenisse probatur.*— Unde quamvis transactio

bona fide hinc inde finita non rescindatur sub prætextu instrumentorum de novo repertorum, l. *Sub prætextu instrumenti*, 19, C. h. t. illico tamen ibidem subjungitur, quod si adversarius meus per se, vel per alium, mihi instrumenta, quibus veritas argui potuisset, subtraxisse, sicque me ad transigendum coegisse probetur, de dolo actio mihi competat, atque transactio rescindatur. Et hæc sunt certa, et communiter recepta; major difficultas est de transactione bona fide hinc inde peracta, ex qua tamen læsio ultra dimidium intervenit; pro cujus resolutione,

56. *Probabilius est, quod transactio etiam bona fide hinc inde celebrata, rescindi possit ob læsionem ultra dimidium.*— Resp. III. Probabilius est, quod transactio etiam bona fide hinc inde celebrata, rescindi possit ob læsionem ultra dimidium. Ita Abbas c. *Cum causa* num. 7 et 8, *de Emption. et vendit.* Bartolus l. *Si quis cum aliter*. num. 4, ff. *de Verb. obligat.* et l. *Rem majoris*, num. 9. C. *de Rescind. vendit.*; Fachineus. cit. lib. II, cap. xxvi, allegans Rotam Romanam, in part. novissimar. decis. 102, numer. 2, et plures alios; et Engel h. t. numer. 14, contra Glossam fin. in cit. c. *Cum causa, de Empt. et vendition.*; Jason ubi supra, et non paucos alios.

57. *Idque probatur multipliciter.*— Ratio est, tum quia is, qui ita enormiter, sive ultra dimidium deceptus est, non videtur habuisse animum deliberandi, seu taliter transigendi, ut notat Abbas loc. cit. et favet textus in allegata l. *Qui cum tutoribus*. ff. h. t.; tum quia in cit. c. *Cum causa, de Empt.* et l. *Rem majoris*, C. *de Rescindend. vendit.* rescinditur venditio, in qua intervenit læsio ultra dimidium, ubi hujus ratio redditur, quia istud « humanum est: » idem ergo dicendum in transactione ob læsionem ultra dimidium, quia et istud humanum est. Accedit textus notabilis in l. *Si superstite*, C. *de Dolo*, ubi filia emancipata, et cum patre bona fide transigens, si læsa est immodice, habet actionem in factum contra patrem; ergo, cum hic sit sermo de actione bona fide celebrata, simulque imperator totam vim ponat in læsione immodica (qualis juxta omnes, est læsio ultra dimidium) etiam transactio bona fide inita, ob talem læsionem est rescindenda.

58. *In jure dolus ex proposito, et dolus re ipsa æquiparantur.*— Confirmatur id ipsum: quia in jure dolus ex proposito, et dolus re ipsa, æquiparantur, arg. l. *Si quis cum aliter*, ff. *de Verb. obligat.* ibi: « Idem est, etsi nul-

lus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat: » et tradit Covarruvias in c. *Quamvis*. part. III, § 4 n. 5, *de Pactis*, in 6; Gailus, lib. II *Practic. observat.* 147, n. 11; Fachineus cit. cap. xxvi, § *Movet secundo*. allegans alios. Atque ex læsione ultra dimidium, dolus re ipsa apparet atque præsumitur, l. *Omnes*. § *Lucius*. ff. *Quæ in fraudem creditor.* ac notant citati auctores cum communi: ergo sicut ob dolum ex proposito (juxta dicta n. 54 et 55) ita et ob dolum re ipsa, sive ob læsionem ultra dimidium rescinditur transactio.

59. *Læsisio ultra dimidium aliter æstimatur in venditione, et aliter in transactione.*— Solummodo hinc notandum est cum Bartolo, Abbate, ubi supra, et aliis hanc sententiam tenentibus, quod sit differentia quoad modum æstimandi læsionem ultra dimidium in venditione, et in transactione. Ibi enim consideratur verus valor rei venditæ pro tempore venditionis: econtra in transactione attenditur valor rei controversæ, quantus erat in veritate, sed quantum valebat res illa habito respectu ad incertum litis eventum. Unde, quia dubius est litis eventus, l. *Quod debetur*, ff. *de Peculio*, hoc totum pendet ex arbitrio boni viri, inspecta qualitate dubii eventus litis hoc determinantis; et ille, qui conqueritur, se enormiter, seu ultra medietatem fuisse læsum, tenetur hoc probare. Quod quia est difficillimum propter incertitudinem victoriæ, præsens quæstio adeo controversa raro in praxi locum habere potest.

60. *Proponuntur et solvuntur rationes in oppositum.*— Objicies majoris claritatis gratia contra tertiam conclusionem: Transactio, et res judicata paræ sunt auctoritatis, atque æquiparantur, l. *Non minorem*, C. h. t.; atqui res judicata nunquam rescinditur; ergo nec illa. Accedit, quod eo ipso, quod a lite per transactionem receditur, magnum commodum reportetur eo quod dubius sit litis eventus, ut dictum: unde ipsa transactio etiam per instrumenta de novo reperta, non rescinditur, l. *Sub prætextu*, C. h. t. Quinimo in l. *Lucius* § fin. ff. *Ad S. C. Trebellian.* juncta Glossa, ibid. dicitur, quod si est transactum, non possit contraveniri, etiamsi postea appareat, quadruplo plus fuisse debitum. Tacentur similia. Resp. imprimis generaliter, hæc et alia hujusmodi procedere, quando quis sciens ac volens, ob bonum pacis, seu incertum litis eventum, super minori summa transigit; nam « scienti et consentienti non fit injuria, ne-

que dolus, » juxta reg. 27 juris in 6. Secus, ubi ignorantia supervenit deceptio, seu læsio ultra dimidium, ut probant rationes conclusionis.

61. *Proponuntur et solvuntur rationes in oppositum.*— Resp. ulterius ad singula in particulari. Et primum quidem non urget: nam l. *Non minorem*, C. h. t. procedit in transactione, in qua non intervenit dolus: talis autem saltem re ipsa intervenit, quoties fit læsio ultra dimidium. Ad alterum dicitur esse quidem dubium litis eventum, conclusionem tamen nostram loqui in casu, quando postea dignoscitur, intervenisse læsionem ultra dimidium, habito respectu ad incertum litis eventum: unde nihil inde sequitur contra ipsam. Ad l. *Sub prætextu*, C. h. t. patet ex dictis num. 54 et 55, nam etiam in nostro casu intervenit dolus, si non ex proposito, saltem re ipsa, ut dictum n. 58. Ad l. *Lucius*. § fin. ff. *Ad S. C. Trebellian.* respondetur ut ad primum. Aliæ responsiones majoris indaginis possunt videri apud Fachineum loc. cit. et Engel h. t. n. 14.

62. *Transactio est species alienationis, nec fieri potest de rebus Ecclesiæ immobilibus aut pretiosis absque solemnitatibus juris.*— Quæritur III. Qua ratione valeat, atque obliget transactio facta per prælatum de rebus Ecclesiæ? Resp. I. Transactio est species alienationis: unde, sicut res Ecclesiæ immobiles, vel pretiosæ, absque solemnitatibus jure requisitis alienari nequeunt, ut habetur in Extravag. *Ambitosæ, de Rebus Ecclesiæ non alien.* ita neque transactio super iisdem facta tenet. Secus dicendum de mobilibus non pretiosis, seu parum valentibus, aut quæ servando servari non possunt: imo etiam prior pars patitur nonnullam limitationem. Unde,

63. *Transactio per prælatum, vel rectorem Ecclesiæ, facta sine consensu superioris, non obligat successorem, sed solum transigentem.*— Resp. II. Quamvis prælatus, seu rector Ecclesiæ non possit transigere vel componere super rebus Ecclesiæ immobilibus, seu juribus spiritualibus in præjudicium Ecclesiæ; ac proinde transactio facta de rebus Ecclesiæ per prælatum sine consensu superioris non obliget successorem: potest nihilominus rector Ecclesiæ transigere super juribus Ecclesiæ in præjudicium sui ipsius, ita quod transactio teneat toto tempore, quo Ecclesiam possidebit. Ita colligitur ex c. *Veniens*. 8. h. t. et notat Abbas ibid. numer. 1. et Fagnanus, numer. 2. cum omnibus. Rationem hujus

reddit Pontifex ibidem sequentibus verbis : « Cum alias transactio inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur : nec pacta inter alios acta aliis obesse patiamur, » sicque transactio, v. g. de solvenda dumtaxat tertia parte decimarum (de qua ibidem est sermo) per rectorem Ecclesie cum monasterio quodam inita, valet quidem in præjudicium dicti rectoris, et quamdiu tenebit Ecclesiam, etiamsi superioris auctoritas non intercesserit; sed non obligat successorem, cum sit mere personalis, sicque cum persona extinguitur. Simile quid habet concilium Trident. sess. 6, cap. v. *de Reformat.* ubi inter alia provide decrevit, ut « Capitula cathedralium nullis concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, » quominus a suis episcopis juxta canonicas sanctiones visitari valeant.

64. *Secus, si fuerit confirmata ex certa scientia per Sedem Apostolicam.* — Resp. III. Nihilominus transactio personalis super rebus Ecclesie fit realis, et obligat successores, si fuerit per Sedem Apostolicam confirmata : dummodo tamen confirmatio non fuerit in forma communi, sed ex certa scientia. Ita desumitur ex cit. c. *Veniens*. h. t. juncta Glossa ibid. *¶ Confirmatam.* et sequitur Fagnanus in d. c. *Veniens*, numer. 3, h. t. citans alios; ac Rota, decis. 2, et 44, part. IV. recent. quam allegat Turricellius, *de Rebus Ecclesie non alienand.* cap. ix. Nam Papa potest facere, ut transactio, quæ nulla est, sit aliqua, arg. c. *Cum apostolica. De his quæ fiunt a prælat.*; ergo multo magis potest efficere, ut sit alia, nempe ut ex personali fiat realis; quia plus est, de nihilo aliquid facere, quam de aliquo aliud, arg. c. *Revera, de Consec. dist. 2.*

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quando lis inter partes suborta, per pacta vel transactiones nondum fuit sopita, sed judicis sententia mediante processu judiciario postulatur, et expectatur : ante omnia necesse est, ut litigaturi idoneos sibi advocatos, et procuratores ad causam instituendam, atque prosequendam inquirant et constituant : adeo

quidem, ut si pars aliqua vel ob inopiam vel ob potentiam adversarii, advocatum habere nequeat, judex idoneum dare teneatur; ut cap. i. *de Offic. judic.* et l. I. *§. Ait prætor.* ff. h. t. estque jam alibi dictum. Unde merito post rubricas de pactis, et transactionibus, agitur in hoc et sequenti titulo, de advocatis et procuratoribus. Proinde sit

§ I.

DE MUNERE, ET POTESTATE POSTULANDI.

2. *Postulare late, quid?* — Quæritur I. Quid, et quale munus sit postulare? Resp. I. *Postulare* late loquendo idem est, ac petere aliquid, seu animi sui desiderium exponere. Atque in hoc largiori sensu *ly postulare* non solum in communi modo loquendi frequenter accipitur, sed etiam superius in titulo, *de Postulatione prælatorum* inscripto : hæc enim aliud non est, quam alicujus personæ ad dignitatem ecclesiasticam erga superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittere velit. Verum *de Postulando* in hac largiori acceptance impræsentiarum non agitur : unde

3. *Postulare stricte, seu quantum ad propositum, quid?* — Resp. II. Quantum ad propositum, et strictius loquendo, « *Postulare* est desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. » Ita habet textus expressus in l. I. *§ Postulare.* ff. *de Postulando*; estque communis. Ubi *ly* « desiderium suum, vel amici sui exponere, » ad actorem, seu ejus advocatum pertinet : *ly* autem « vel alterius desiderio contradicere, » spectat ad reum, atque. Vallensi, h. t. n. 1.

4. *Postulantes alio nomine vocantur advocati.* — Dicitur etiam, « desiderium suum, vel amici sui, » ad indicandum, quod non solum pro se possit quis postulare, allegando coram judice rationes, sive in jure, sive in facto consistentes, quæ negotio et causæ suæ expediant; sed hoc ipsum etiam præstare valeat pro alio. Et quidem postulantes alieno nomine, sive pro alio, communiter dicuntur « advocati, patroni causarum, oratores et causidici, » eo quod in judicio dicant causam sui clientuli, et pro eodem postulent, desiderium ipsius exponentes, aut alterius desiderio contradicentes.

5. *Consulens in loco privato, non potest dici postulare.* — Et additur « in jure, » hoc est, in judicio, sive in loco, in quo solet jus reddi,

ut explicat Glossa ibid. *¶ In jure.* Et per hoc concluditur, quod ille, qui dumtaxat in loco privato, ut puta in cubiculo, cuiquam consulit, seu causam ipsius adjuvat, non possit dici *postulare*, seu advocatum agere. quia nimirum hoc non facit in judicio. Unde ulterius sequitur, quod ille, qui a jure prohibetur postulare, non ideo prohibeatur consilium dare.

6. *Munus postulandi est publicum, atque honorificum. Advocati equiparantur militibus.* — Resp. III. Munus postulandi est publicum, atque honorificum, ad quod non admittuntur nisi probi et habiles. Ita communis. Idque patet ex l. *Advocati* 14. C. *de Advocatis divers. judicior.*, ubi inter alia encomia, advocati militibus equiparantur : nam per eos quasi per milites, vita, spes, et patrimonia hominum periclitantium defenduntur : unde in l. *Sancimus, Advocatis*, et seqq. C. eod. diversa advocatis privilegia conceduntur, de quibus juristæ.

7. *Procuratoris officium est vile, privatum et onerosum.* — Hinc Glossa in l. I. *¶ Certis personis*, ff. h. t. notabile ponit discrimen inter advocatum, et procuratorem. Ait enim, quod advocatum esse, sit honor : nam laudabile, vitæque hominum necessarium est advocacy officium, quod maxime principibus præmiis oportet remunerari, l. *Laudabile*. C. *de Advocatis diversor. judicior.* et concordant jura proxime citata. Econtra procuratorem esse, est onus : quia officium procuratoris est vile et privatum, atque onerosum, arg. l. *Si quis*, 34, juncta Glossa in C. *de Decurionib.* l. X, ubi proin consilarii prohibentur sub gravibus pœnis, constitui ac fieri procuratores, « ne existimationem suam servili obsecundatione damnent, » ut loquitur textus. Atque ex hoc discrimine sequuntur plures aliæ differentie inter utrumque, de quibus infra tit. seq. § 1. n. 7. et seqq.

8. *Postulare, seu advocatum agere possunt omnes quibus id non reperitur interdictum.* — Quæritur II. Quinam postulare, vel advocatum in judicio agere prohibeantur? Resp. I. Postulare, seu advocatum agere possunt omnes, quibus id in jure non reperitur interdictum. Ita Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 2, *Speculator*, tit. *de Advocat.* n. 4. et alii. Nam edictum de postulando prohibitorium est, sicut et illud de procuratore constituendo, l. *Mutus*, § 1, ff. *de Procuratorib.* et illud de testibus, l. I, ff. *de Testib.* Ac proinde, quicumque non prohibetur expresse, per conse-

quentiam admittitur, c. *Cum apud Sedem*. 23. *de Sponsalib.* juncta Glossa ibid. *¶ Prohibitorium.*

9. *Successu temporis istud est restrictum ad peritiam juris habentes.* — Cæterum licet antiquitus moris fuerit, ut cuivis de jure non prohibito, et studiorum suorum fiduciam habenti, aut saltem factorum peritia pollenti, postulare et advocatum agere liceret, arg. l. II. C. *de Postulando*, juncta Glossa ibidem, et notat Zoesius n. 3. ff. h. t.; nihilominus successu temporis non alii advocatorum officio sociari permissi fuerunt, nisi qui de peritia juris competens testimonium accepissent, l. *Nemini*, C. *de Advocatis diversor. judicior.*

10. *Et quid hodie servetur ex recessibus Romani imperii.* — Addit Engel. h. t. n. 8. quod hodie de recessibus Romani imperii, et consuetudine generali omnium ferme majorum tribunalium, advocare non permittantur, nisi qui gradum saltem licentiatum in jure, et specialiter facultatem advocandi a judice obtinuerint : imo quod in multis locis etiam libelli partium non recipiantur, nisi sint subscripti ab aliquo approbato avvocato. Idque ex eo factum videtur, ne alioquin advocacy officio temere se ingerant, qui justitiam causæ vel ob imperitiam, vel ob malitiam forte minus expendant, sicque grave suis clientelis damnum inferre possunt. Si tamen aliquis pro se, seu in propria causa postulare, atque advocati vices supplere velit, admitti solet; sibi tamen imputet, si quid minus bene exponendo detrimentum patiatur.

11. *Aliqui de jure communi prohibentur in totum postulare.* — Resp. II. Generatim loquendo, de jure communi quidam in totum postulare prohibentur; quidam pro se solum postulare possunt, non vero pro aliis; quidam et pro se, et pro aliis, sed certis dumtaxat personis, hoc est, pro conjunctis, non item pro cæteris postulare permittuntur. Ita habetur expressum in can. *Infames*. 3. q. 7. circ. inil., et l. I. § 1. ff. h. t. ubi in progressu singula membra declarantur.

12. *Aliqui de jure communi prohibentur in totum postulare.* — Et quidem imprimis in totum postulare prohibentur illi, qui sunt minores septemdecim annis; idque ob judicii infirmitatem. Item omnino sardi, cum nequeant judicis verba audire; sicque in manifesto periculo existant, ne non audito decreto ipsius, quasi non obtemperassent, ve-